



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae**

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex  
Diervm, Ac Tertivs De Anima

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1622**

IX. De distinctione intellectus practici, & speculatiui.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)







Explicatur  
2.

seipsam est appetibilis: practicum verò tantum in ordine ad opus, & propter bonum, quod in operatione reperitur. Ad cuius differentie declaracionem est secundo notandum intellectum nostrum circa duo versari: primò quidem circa cognitionem rerum tam externarum, quam propriarum etiam naturarum: secundo circa operationes proprias, inter quas alie sunt in potestate hominis, quoad usum, & exercitium, atq; etiam quoad rectitudinem, & prauitatem; alie verò sunt necessario, quæ proinde in potestate hominis non existunt. Circa priores autem operationes dupliciter potest intellectus versari: aut cognoscendo illas secundum entitates suas naturales, aut regulando, constituendoque in illis modum, quo optime fiant. Quando ergo intellectus noster versatur circa rem quamlibet sibi extrinsecam, vel intrinsecam, cognoscendo tantum naturam, & proprietates illius, ea cognitio speculatiua est, quando verò circa operationem hominis ipsius, regulando, ponendoque illi modum, talis actio erat communiter practica. Quapropter cognitio speculatiua vendicat pro materia proxima circa quam versatur, rem cognitam: pro fine autem ipsam veritatem, quæ de re illa potest demonstrari: at verò cognitio practica pro materia, & obiecto sortitur operationem humanam, & pro fine rectitudinem illius, & ut ita dicam, regulationem in facto esse: quod intelligendum venit, quando operatio ipsa est praxis, vt statim explicabo. Et hac de causa intellectus practicus rem considerat, vt operabilem, quia nimirum immediate considerat, vt operationes hominis, ac res alias, vt sub talibus cadunt operationibus.

2.  
a. Differentia

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Hinc altera sumitur differentia practici, & speculatiui, quod speculatiuum versatur potissimè circa vniuersalia, vnde scientia maximè speculatiua, qualis est metaphysica, maximè vniuersalia cōtemplatur: practicum verò potissimè intendit in particularia: quia de causis prudentia habitus intellectus est maximè practicus, quia particularia considerat. Ac ratio à priori est, quia circa actiones versatur, quæ ad singularia terminantur. Et quauis practicum circa vniuersalia sæpe versetur, id tamen non nisi in ordine ad singularia. Vnde suboritur tertia differentia, quod speculatiuum est maximè de æternis, ac necessariis: quod si attingit etiam corruptibilia, ea planè abstrahit, & quasi perpetua considerat: practicum verò de contingētib; quia respicit singularia particulariaque circumstantias eorum, quæ facile mutabiles sunt. Est & alia differentia, quod speculatiuum res cōtemplatur ex earum principiis: practicum verò considerat easdem, quasi ponens in seipso principium illarum: sic philosophus naturalis dognoscit passionem animæ considerando quid in se sint, & quomodo oriantur à tali natura, & hoc ipsum est considerare rem speculatiuo modo: philosophus autem moralis obseruat animæ passionem, vt reducenda sint ad mediocritatem per virtutes, quod est agere de illis modo operabili. Vltima tandem differentia, ad quam numeratæ omnes reducuntur, posita est in diuersitate obiecti formalis, nam practicum respicit operabile, vt sic, speculatiuum autem veritatem, vt sic, quæ est differentia ex parte finis, vt rectè notauit Caiet. 1. p. q. 14. a. 16. Quapropter superflua est quorundam disputatio, an practicum, & speculatiuum differant ex obiecto, an ex fine, quam excitant Antonius Andreas 6. Metaph. q. 1. Soncin. q. 4. Iayellus q. 5. si enim fermo sit de obiecto materiali, in eo planè non differunt, cum circa idem obiectum materiale practicum, & speculatiuum possint versari: si verò de obiecto formali idem, prorsus est cum fine: nulla ergo existit controuersia.

3. Ex dictis de practico, & speculatiuo in commu-

ni colligitur primò resolutio illius questionis, an scientia practica, & speculatiua differant ex fine: plus scientia, multi enim putant habitum practicum non esse absq; fine scientis, vt Soncin. & Iayellus paulo ante citati, quibus videtur fauere D. Th. 1. p. q. 14. a. 16. & q. 79. a. 2. Dicendum est tamen, habitum ex se habere practicum esse, vel speculatiuum, neq; finem scientis posse variare huiusmodi rationem in habitibus: sic scientia, quæ cognoscitur Deus cum attributis ipsius speculatiua est, quantumlibet ipse sciens finem aliquem extrinsecum per illam sibi proponat acquirendum. Alioquin vana foret diuisio scientiarum in practicas, & speculatiuas, nam quilibet posset practica euadere, aut speculatiua iuxta placitum addiscens, quod est ridiculum. Acratio à priori est, quia habitus practicus dicitur, eo quod directius sit operationis, quod verò actu non dirigat per directionem, & intentionem addiscētis, per accidens est, nec illius mutat naturam, sicut regula semper talis est, quanuis ad regulandum non applicetur. Ita Caiet. citato art. 16. primæ partis, Ferrar. 3. contra gentes, cap. 20. Soto q. 4. proæmialium in logicam. Fatemur tamen finem scientis modum mutare in acquisitione scientiæ, operationemque & habitum practicum reddere, non quidem per se, sed quasi per accidens, & occasionaliter: veluti si quis acquirat scientiam de re operabili, non animo operandi, sed cognoscendi naturam illius, procedit quidem ex accidenti, speculatiuo modo: qui verò addiscit animo operandi, procedit practico, atque adeo cognitio hæc practica erit, illa speculatiua, quod quidem ex fine scientis ortum habuit, occasionaliter tamen id habent ex intrinseco modo procedendi, & ita est intelligendus S. Thomas: si tamen quis non variat modum acquirendi scientiam, quanuis variaret propositum, & finem suum, ratio scientiæ non mutaretur, & ita per se loquendo finis scientis non variat rationem habitus practici, vel speculatiui.

Sed an in actibus ipsis requiratur actualis intentio operandi vt consideratio practica dicatur, dubitari posset. Quidam asserunt, asserentes nullam considerationem actualem esse practici simpliciter, nisi illi addatur actus voluntatis intendētis operationem, habitus enim, inquit, dicitur practicus, quia est directius, talis autem est absque operantis directione, & ideo est etiam practicus absque tali directione: at vero actus practicus dicitur, quia actu dirigit, non potest autem dirigere actu nisi voluntatis intentio accedat: quare, &c. Alij addunt requiri voluntatem rectam, quod falsum puto, nam à voluntate errante procedere potest actus practicus prauus: & imprudentia practica planè est, siut contraria prudentia, imò & error practicus dari valet, vnde ex 3. Ethicorum, cap. 1. celebratur omnem prauum ignorare quid agat, ignorantia practica videlicet, ignorantia quippe speculatiua minime ignorat.

At enim non solum sententia hæc, verum etiam prior displicet, namque vt actus intellectus dicatur practicus, non pendet à voluntate, vt à mouente: quod probatur, quia omnis actus intellectus, qui de se tendit ad mouendum appetitum, & regulandum actum illius, practicus est: actus autem, à quo mouetur appetitus, antecedit omnem appetitum: non ergo actus practicus per se requirit voluntatis intentionem. Maior patet: quia non intellectus speculatiuus, sed practicus mouet appetitum, vt docet Aristoteles: minor verò ostenditur, quia appetitus non tendit nisi ad obiectum cognitum, ideoque prima cognitio practica appetitus mouens præire debet omnem actum appetitus, alias in infinitum procederetur, vt notauit Aristoteles 7. Ethicorum ad Eudemum, & nos infra

SVAREZ  
de Angelis, opus  
6. d. 1. m. et  
amara.

Tom. 7. m.  
1. m.  
1. m.  
1. m.

D. V. 2.



Si dicemus l. 5. c. 3. hic vero actus, omne malum est fugiendum, practicus est, siquidem vim habet mouendi appetitum, imò primum principium censetur rationis practice: vt D. Th. notat. l. p. q. 79. a. 12. vnde in 2. 2. q. 49. a. 1. habitum elicitiuum talis actus inter partes prudentie collocat.

6. Replicat pro ad 1. summa.

Vera enodatio.

Snadetur.

Sed occurrunt aduersarij, actus eiusmodi non esse perfecte practicos, cum possit mens in eorum cognitione sistere, & speculari tantum omne malum esse detestabile, & omne bonum dirigibile, vnde à quibusdā similes actus vocantur speculatiue practici. Fortasse tamen questio de nomine erit, atq; ita actus ille potest simpliciter practicus censeri. Vnde S. Th. q. 17. de veritate, a. 1. synderesim vocat simpliciter habitum practicum. Ratio est, quia licet possit intellectus in cognitione illa sistere, ex natura tamen sua actus ipse mouere appetitum valet, media cōclusionē practica, que ex illo inferitur, assensus namq; principiorum, naturaliter tēdit ad assensum cōclusionū, eiusdemq; ordinis est cum illo: vnde confirmatur institutū, nam actus hic in particulari, malum hoc, v. g. furtum, est fugiendum, practicus est: ergo, & vniuersalis ille, omne malum est fugiendum, practicus erit. Antecedens suadetur, quia talis habet pro obiecto rem operabilem, modoq; operabili circa illam versatur, cum proponatur faciēda, & actus ipse sufficiens fit ad mouendum voluntatem, & ad hoc ex se dirigatur. Iam consequentia suadetur: quia eadē est ratio de actu vniuersali, & particulari. Hinc ergo formatur argumentum. Actus hic, omne malum est fugiendum, practicus est, nō pendet autem ex voluntate operantis: ergo, &c. Tandem actus conscientie, dictus murmuratio intellectus de actu malo, ex quo sequitur remorsus in voluntate, ille, inquam, actus practicus est: vt pote quādam synderesim, mouetque voluntatem, & tamen prauertit omnem appetitum, quia nobis etiam nolentibus intra nos excitatur: ergo actus practicus non tantum ille est, qui à voluntate procedit, vel qui actu dirigit operantem, sed qui de se est sufficiens ad mouendum appetitum, & ad id ex se tendit natura sua.

7. Doctrina proxima testatur.

Est quidem verum inter practicos actus esse nonnullos magis practicos, quā alios: namque sermones vniuersales nonnihil magis speculatiōnis participant, & inter actus prosecutionis, vel fuge ij, qui exercite ad illam dirigunt, quale imperium, magis practici sunt, quā qui in actu signato solum iudicant fugiendum esse, vel persequendum: omnes tamen possunt dici practici absolute, quia omnes habent pro fine opus. Inferes, ergo omnis actus intellectus practicus est, siquidem omnis de se excitat voluntatem saltem delectando, cognitioneq; Dei practica est, quoniam motiua etiam est voluntatis ad illum amandum. Neganda tamen sequela, actio enim practica non ea dicitur, ex qua sequi potest affectus in voluntate, vt S. Thom. notat de veritate, q. 14. art. 4. sed quā directiua est operum, ad hocque tendit ex genere suo, huiusmodi verò est omne dictamē intellectus circa res agendas, vel fugiendas, sunt item consilij, qui planē inducunt ad operandum, quāuis efficaciter id non efficiant, id enim de ratione omnium practico- rum actuum non est, sed qd ad id tendant ex sese.

8. 1. Corollar.

Secundo colligitur ex dictis, quidnam sit actus practicus, quidnam praxis, de quo plurimi plurima disputant tam metaphysici, quā Theologi, quidam autem affirmant praxim debere esse operationem intellectus: alij verò, vt Scot. & Soncin. definiunt praxim necessariò esse operationem alterius potentie ab intellectu: est verò, vt existimo, dissentio de nomine, nam actus practicus est, vt diximus, quo intellectus ordinat, aut dirigit operationem, praxis verò dicitur operatio ipsa que regulatur, & ordinatur per actionem practicam.

intellectus: nam praxis nomen Græcum est, Latine, operationem significans: atque hic videtur communis vocabulorum vsus, vnde communiter praxis putatur actus alterius potentie ab intellectu, practicus verò actus ab intellectu ipso elicitur, atque intra illum inuenitur.

9. Dub. cuiusda enodatio.

Sed, an praxis sit etiam interdum actus ab intellectu elicitus communiter negari solet, dicendum tamen actum intellectus considerari, aut vt operatio est secundum suam substantiam tantum, sicque verum, vel falsum esse, ac speculatiōnem quandam. Aut considerari, vt obicitur actui voluntatis, ab eaque elicitur, & à prudentia imperatur, & vt sic intellectum bonum esse, vel malum, atque eius actus praxes, cum sit actus voluntarij, & morales, proindeque virtutis, vel viti: quapropter cum Sanctus Thomas prima secundæ, quest. 57. artic. primo, ad primum, ait habitum practicum dirigere opus exterius, seu alterius potentie ab intellectu, non contendit dirigere semper, ac necessariò, sed communiter. Etenim prudentia dirigit etiam actus intellectus quantum ad vsum: vel certe intelligendus erit, quod immediate dirigit actum alterius potentie, nempe voluntatis: mediāt enim dirigere poterit actum intellectus, in quantum sub voluntatis electionem cadit.

10. 1. Corollar. conueniens assertio: nempe principalem.

Tertio colligitur decisio questionis propositæ, cuius tandem conclusio sit. Intellectus practicus, & speculatiuus non duæ sunt, sed vna potentia tantum realiter, atque formaliter. Ita S. Thomas supra dum asserit hosce intellectus differre tantum secundum modum concipiendi nostrum. Ratio conclusionis est, quia obiectum intellectus ad quod est vnum formaliter, nempe intelligibile: sub quo continentur practicum, & speculatiuum, & eorum actus tanquam obiecta partialia, quod supra lib. 3. c. 30. in simili dicebamus de sensu interiori, & patet amplius. Nam speculatio est quasi fundamentum actus practici, à cognitione enim speculatiua sepe descendimus ad cognitionem practicam: præterea si intellectus practicus, & speculatiuus formaliter differant propter diversitatem actuum, quolibet potentia haberet innumeras fere distinctiones formales, nam quot habet actus diuersos, tot conceptibus diuersis potest concipi. Tandem, quia potentia intellectiua est vniuersalissima in suo genere, ideo vna tantum merito pœuenda est.

11. Obiectio cuiusda assertio. ex Aristot.

Huic conclusioni repugnare videtur Aristoteles 6. Ethicorum, cap. 1. & libro magnorum moralium, cap. 35. vbi intellectum practicum, & speculatiuum, duas partes animæ genere diuersas vocat, assignata etiam distinctione ex obiectis: & 3. de Anima, textu 53. intellectum practicum virtutem deliberantem appellat, intellectum vero speculatiuum principium intelligendi, additque distinguui inter se magis, quā inuisibilem, & corruptibilem, quæ vtriq; potentie secundum penè omnes distinguuntur realiter: quare &c. Accedit ratio, quia diuersa obiecta, & actus horum intellectuum veram arguunt distinctionem. Ad Aristotelem respondendum: si, vt verba sonant, opinetur, non esse probandum: exponi tamen posset, voluisse tantum in intellectu nostro duplicem vim partialem intelligi, duplexque munus eiusdem potentie, veluti si in luce Solis distinguamus virtutem calefaciendi, atq; illuminandi ad ostendendos diuersos effectus eiusdem potentie. Ad rationem dicitur illa omnia, quæ recensentur partialia esse sub obiecto, ad æquato comprehensione.

Ex ratione satisf.

12. Instantia ex sententia Capreoli, & quorundam Thomist.

Sed obicit adhuc, si intellectus practicus, & speculatiuus essentia non distinguantur, nec habitus scientie practice, & speculatiue distinguuntur. Ita quidem asseruerunt Soncin. Iauellus, & alij cum Capreo.



*Ex indur.* Capreolo in prologo. Eorum tamen sententia falsa videtur, quoniam prædicti habitus per proprios, & intrinsecos fines, & obiecta formalia separantur, ut supra ostendimus, neque est simile de potentia, & habitibus: nam, ut etiam alibi monuimus, potentia multo vniuersalius est, quam habitus eam perficiens, cum sit superior, & eminentior, unde licet una potentia sit, quæ speculatur veritates, & dirigit operationes humanas: alter tamen habitus est, qui potentiam hanc perficit in primo munere, alter, qui in secundo: quia de causa distinctio habituum non essentialis solum, sed etiam generica dici solet: ut notauit Scotus in logica supra, & Caiet. 1. p. q. 1. a. 4. non quod in nullo genere conveniant, ut nos etiam in posterioribus. apud Aristotelem docuimus, sed quod constituent duos habituum ordines, vnde inter se diuersos, distinctasque rationes scientiarum sub se continentes. Vnde sub priori ordine continetur totalitas principiorum, conclusionumque scientiarum speculatiuarum, quæ ex variis abstractionibus distinguuntur, de quibus etiam in proprio loco plura diximus, sub posteriori verò totalitas habituum practitorum coercens omnes practicas scientias, artes, prudentiam, &c. qui habitus inter se per actuum, factuumque distinguuntur ab Aristotele 6. Metaph. & 6. item Ethicorum.

13  
Notatio 1.  
pro doctina  
proxima.

Ad cuius distinctionis intelligentiam est notandum, primò, quod habitus practicus ille dicitur, qui ponit modum, & rectitudinem in dirigenda actione humana, quæ quidem dirigi potest, aut quantum ad vsum moralem, ut scilicet studiosè fiat, aut quantum ad rectitudinem naturalem, id est, ut nimirum in proprio genere operatio illa perfecta prodeat: sic ars pingendi vel scribendi hominem dirigit ad rectè exercendam illam operationem in ordine ad picturam, vel scripturam bonam. Prima rectitudo operationis est rectitudo ad bonum simpliciter, quia est bonum hominis, ut homo est. Secunda rectitudo est ad bonum secundum quid, quia est bonum hominis, non ut homo est, sed ut talis, vel talis artifex. Rursum prima rectitudo pertinet ad prudentiam, & actus illam comitantes, tendit enim ad rectitudinem simpliciter voluntatis, & appetitus. Secunda verò rectitudo pertinet ad artem, unde scitè scripsit Aristoteles, prudentem magis vituperari, si volens errauerit, quam si nolens, at verò artificem è contrario plus vituperari, si errauerit nolens, quam si volens: quia in prudente requiritur rectitudo appetitus, non item in artifice.

14  
Notatio 2.

Secundò est notandum inter operationes humanas, quasdam esse, quæ transeunt in exteriorem materiam, efficiuntque aliquid manens transacta actione, alias verò, quæ non transeunt in talem materiam, sub quibus comprehenduntur, quæ nihil operis relinquunt, cum transferint, veluti ciuitarizatio, saltatio, &c. primi generis operationes actiones propriè vocantur: Aristoteles ergo dictis locis agibile vocat, id quod est agibile simpliciter, & ita solum prudentiam ait vocari, versarique circa agibile, & artem omnem circa factibile: vnde prudentiam vocat habitum cum ratione actuum, artem verò habitum cum ratione factuum, idem habet libro magnorum moralium, cap. ult. Atenim Alexander Aphrod. 6. Metaph. c. 1. quem sequi videtur S. Thomas 1. 2. q. 57. art. 4. duplices artes distinguit, alias, quæ versantur circa agibile, dicunturque liberales, cuiusmodi sunt quæcunque circa actiones immanentes versantur, & alias, quæ circa factibile occupantur, ac dicuntur, seruiles: prioris generis artes distinguuntur à prudentia, quæ circa agibile simpliciter versatur, dirigendo bonitatem, rectitudinemque simpliciter in actionibus: artes verò circa agibile secundum

dum quid, ut diximus. Vergebis Dialectica igitur scientia practica erit, cum ars directiua sit operationum humanarum, & earum regula. Occurrit tamen quantum ad modum quidem practicum esse, attamen excipi à numero artium, & speculationem dici posse, quia speculationem, & speculationem est, dirigit, ut alibi diximus.

Superest breue dubium, an vnus, idemque habitus esse queat practicus, & speculatiuus, ac negandum videbitur, cum dixerimus distinguere essentialiter. Censeo tamen inter habitus infulos aliquos esse practicos, & speculatiuos simul, eo quod perficiunt intellectum secundum operationes aliquas vtriusque generis: cuiusmodi sunt fides supernaturales, Spiritus sancti dona, quæ fidei respondent, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 4. art. 2. ad 3. & q. 8. & 9. Scientia denique Theologia. Ratio est, quia tales habitus cum habeant supremum obiectum, nempe Deum, ad quem omnia ordinantur, tractando de Deo summam speculationem attingunt, quia verò simul agunt de ijs, quæ ad Deum ordinantur, inter quæ operationes humanæ numerantur, aliquid etiam practici participant, inter alios verò inferiores habitus quidam sunt merè speculatiui, ut metaphysica, quidam merè practici, ut prudentia: quidam aliquid ex vtroque videntur communicare, ut moralis philosophia, quæ quidem practica videtur esse, partimque speculatiua, ut insinuat Aristoteles in principio Ethicorum. Quapropter speculatiuum, & practicum differentia erunt essentialia, quando habitus eis adæquatur, at quando habitus superiorem quandam modum sortitur, potest nonnihil ex vtroque participare, & intellectum sub vtraque ratione perficere.

#### CAPVT X.

*Utrum in parte intellectiva sit memoria, vel aliqua potentia ab intellectu distincta.*

In hoc capite superest explicemus reliqua, quæ ad potentiam intellectiuam pertinent: quorum primum illud est, quomodo intellectus noster præterita cognoscat, & obiter etiā attingemus de modo cognoscendi futura, ac tandem diuersæ denominationes explicabuntur, quæ intellectui accommodantur. Circa primum experimento constat, intellectum nostrum cognoscere præterita, de modo tamen est difficultas: circa quæ fuit opinio Auicennæ post actum intelligendi, intellectum non cōseruare species, sed quando cūq; cognoscit abfens obiectum, fieri nouam productionem speciei à phantasmate, & intellectu agente. Ratio eius est, quia si potentia cognoscitiua cōseruaret species, semper cognosceret, quia semper præfèd esset cognoscendi causa, nimirum potentia, atque species.

Sit tamen prima conclusio: Species intelligibiles cōseruantur in anima transacto intelligendi actu. Est communis Theologorum, de qua D. August. 10. 1. confelsionum, & c. 8. & vltra, Magil. in 2. dist. 3. & ibi expolitores D. Thom. 2. contra gentes, c. 74. Cicero Tusculana prima: colligiturque ex Aristotele lib. 2. de Anima, cap. 5. ubi docet intellectum permanere posse in actu primo absque secundo, & lib. de memoria, & remiscencia, cap. 2. fatetur dari memoriam intelligibilem, id quæ experientia patet: nam recordamur actuum præteritorum Dei, & beneficiorum eius: itè cum volumus, consideramus ea, quæ habitualiter nouimus: est experientia autem superfluum nouam semper productionem specierum inducere, quia rerum plurimarum species multo discursu, & labore comparantur, eaque ratione tolleretur scientia habitualis, quæ magna ex par-

SVAREZ  
de Angelis, opus  
6. d. 1. m. et  
anima.

Tom. I. m.

D. V. 2